

Supplicatio Civitatis Marienburgensis  
pro exercendis Sacramentis in summo  
templo, Regi Sigismundo III. oblata, sine  
anno, et die.

Serenissime Rex, Potentissime Princeps,  
Domine, ac Domine clementissime!

18

Ante aliquot exactos annos administratione  
Sacramentorum, confessioni nostrae Augusta-  
ne conformi, in summo templo Civitatis  
Regiae Maiestatis Vestrae Marienburgensis li-  
berè, et absque omni impedimento aliorum  
usi sumus: quem quidem usum injuria  
temporis, et quorundam importunitas nobis  
abstulit, ipso ceteroquin religionis exerci-  
tio, de quo nobis regio privilegio cautum  
est, in dicto templo remanente. Cum au-  
tem magna admodum sit incommoditas  
extra muros civitatis, in loco satis dis-  
tante administrationem Sacramentorum, in pri-  
mis vero baptismi, petere: humillimè Sa-  
cræ Maiestati Vestrae Regiae, quæ omnium  
subditorum salutis ea equè clementer con-  
sultum vult, supplicamus; ut baptismi ad-  
ministrationem, et quotidianum usum in  
prædicto summo templo nobis clementif-  
simè concedere dignetur. Ad usum vero  
Cenæ Dominicæ quod spectat, humillimè  
petimus Sacram Regiam Maiestatem Ve-  
stram, clementissime permittet, ut ejus  
Cenæ Domini participatione, nostræ fidei  
congruente, singulis Diebus Dominicis heb-  
domadarius ex clementissima Regiæ mai-  
estatis



statis Vestra concessione in eodem templo  
uti nobis liceat, aut vero, si id obtineri  
noqueat, alterni saltem Dies Dominici con-  
cedantur. Quod si neque hoc humillima  
nostra petitio impetrare poterit, perquam  
demississimè petimus, ut integrum nobis  
sit, singulis diebus jovis, quibus ali-  
à omnes Catholicorum actiones tempo-  
re matutino quiescere solent, iisdem vero  
diebus conciones quoque nostræ peragun-  
tur, ipsa Domini nostri Cœnâ absque ali-  
orum impedimento liberè uti. Faciet  
hoc benigna concessione sua Majestas  
vestra Regia Deo optimo maximo gra-  
tam, acceptamque rem, et paterna sua  
erga omnes subditos curâ maximè di-  
gnam, ad Civium tranquillitatem, et sa-  
lutem pertinentem, quam omnes pa-  
ratissimis Debitorum obsequiorum servi-  
tius humillimè promereri conabimur.  
Sacra Regia Majestatis Vestrae hu-  
millimi subditi. Proconsul, Consules,  
et communitas civitatis Regiæ Marienburgensis.